



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectae

**Sandini, Antonio**

**Bambergae, 1753**

CCXLIV. Innocentius XII. Anno Christi 1691. Leopoldi I. 40.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

Idem supra art. 2. ad 4. Quid  
quid est contra rationem artificiatum, est  
etiam contra naturam artis, quæ arti-  
ficiatum producitur: lex autem æterna  
comparatur ad ordinem rationis humanæ,  
sicut ars ad artificiatum. Unde ejusdem  
rationis est, quod vitium & peccatum sit  
contra ordinem rationis humanæ, & quod  
sit contra legem æternam. Vide Domi-  
nici Viva Theologicam Trutinam  
damnatarum thesium part. 3. pag. 347.

CCXLIV.  
**INNOCENTIUS**  
**XII.**

ANNO CHRISTI 1691.

LEOPOLDI I. 40.

**M**enses amplius quinque discordia  
tenuit Cardinales collectos in  
comitiis Pontifici creando. Tandem  
IV. Idus Jul. suffragia cuncta con-  
sensere in *Antonium Pignatellum* Ar-  
chiepiscopum Neapolitanum, illu-  
stri ibidem genere natum, virum  
tantæ potestati parem. Pontifex re-  
nunciatus est nomine *Innocentii XII.*  
*Æmulatus* virtutes decessoris sui In-  
no.

nocentii XI. meditatam ab eo opus perfecit, quo laudes expressit ab hæreticis ipsis. Constitutionem condidit promulgavitque manu testatam Cardinalium, quâ regnantium Pontificum consanguineos vetuit ditari Ecclesiæ bonis, decernens ut Pontificibus in suos laborantes inopiâ ita liberalibus esse liceret, tanquam subvenirent necessitatibus alienorum. (1) Idem cum de origine Ordinis Carmelitarum, usque à Prophetis Elia atque Eliseo, disceptaretur acrius, quam par erat, voluit de hac controversia in posterum omnibus silentium esse *sub excommunicationis læ sententiæ pœna*. (2) Vetuit quoque Officia & Magistratus, quibus Collegium Judicum Fisci Pontificii constat, venalia esse, imò duodecim Clericis Cameræ, Præfidi, Auditori, atque Ærarii Præfecto, qui pro his muneribus pecunias dede- rant, ex ærario pecunias restituit, aditus ut illuc unus merita forent. (3) Cum toto bello Europa arderet, universale *Jubilæum* bis indixit averuncandæ cælesti iræ, & Christianos Principes modis omnibus curavit

S s s 3 per-

perpellere, ut pacem inter se componerent (4) Idem passus molestum Electorem Imperii ab Cesare constitutum Ducem Hannoverensem, haud observantem sacra ritibusque Orthodoxorum. (5) Venetae Reipublicae pugnanti contra Turcas eventu prospero triremes subdidit. Novos Sacramenti Pœnitentiæ ministros & Parochos jussit tanto se muneri parare continuatâ per dies denos contemplatione rerum æternarum. Multa sanxit moribus regendis & continendæ Ecclesiasticæ disciplinæ. Faciles ad eum aditus, pauperibus verò ita benignæ aures, ut qui maximus omnium erat dignitate, par infimis videretur humanitate. Mortuus est anno ætatis quinto supra octogesimum V. Kal. Octobris anno 1700. cùm magni consilii Pontifex & spectatæ probitatis fuisset annos novem, menses duos, & dies quindecim.

#### ANNOTATIONES.

(1) Constitut *Romanum decet Pontificem* 19. in Continuatione Bullarii part. 1. pag. 181.

(2) Con-

(2) Constitutionem, quæ incipit *Redemptoris* recitat Thomas Pafeuccius in Compendio ad Consultationes Canonicas Pignatelli part. 2. tit. *De Regular.* pag. 348. Vide Cardinalem Petram in Comment. ad Constitut. Apostol. tom. 2. pag. 273. num. 2.

(3) Constitut. *Ad hoc unxit* 23. pag. 195.

(4) Constitut. *Ubi primum* 46. & Constitut. *In sublimi* 65. pag. 242. & 268.

(5) Vide annotat. 2. ad Gregorium V. pag. 314.

CCXLV.

## CLEMENS XI.

ANNO CHRISTI 1700.

LEOPOLDI I. 49.

**M**AGNUM in Romanis Pontificibus nomen *Clemens XI.* Urbinas *Joannes Franciscus Albanus* antea dictus, Pontificiæ vir majestatis, ut aspectu ipso cuius injiceret admirationem suam, & honoris fastigium æquaret. In locum Innocentii XII. anno 1700. IX. Kal. Decembr. incredibili Cardinalium voluntate vixdum cooptatus, facinus edidit præclarissimum. Nam

Sss 4 de-